

24. HAREO FILIAM VIRGINEM, ET HIC HOMO HABET CONCUBINAM, EDEAM HAS AD VOS. — Querens, an peccarit hic vir offerendo libidini Gabaonitarum filiam suam, et maritus Levita educendo uxorem suam ad evadendam sodomiam? Respondeo, licite eos potuisse volentibus infirre graviolem injuriam, offerre minorem ad redimendam graviolem. Minor autem injuria erat violari filiam vel uxorem, quam virum libidine nefanda, eumque hospitem, violando simul jus hospitii, quod tum temporis sanctissimum erat et inviolabile: sic volenti committere adulterium licet suadere fornicationem cum meretrice, ac volenti committere majus peccatum suadere minus. Hoc enim consilium prudens est et honestum, non enim suadetur hic minus in alium absolute, sed sub conditione hae: si vis plane committere majus peccatum, committe potius minus; quod est objectum hujus consilii prudens, et viro cordato dignum. Ita S. Chrysostomus, homil. 27 ad Populum, et homil. 43 in Genes., illi qui assuetus est jurare per Deum, suadet ut juret potius per caput suum. Et S. Augustinus, lib. II De Adulter. conjug. cap. xv: «Si facturus est, ait, quod non licet, jam faciat adulterium, et non homicidium,» id est, faciat minus peccatum, potius quam majus; idem docet S. Ambrosius, lib. I De Abraham, cap. vi; S. Gregorius, lib. XXXII Moral. cap. xx, ac disertè Cajetanus hic; Barth. Farnus, in Summula Casuum, verbo Tyrannus; D. Soto, lib. VI De Justitia, Quaest. I, art. 3; Adrianus, quodlibet I, Quaest. II; S. Thomas, Quaest. De Malo. Vide Navarrum, cap. XIV, num. 40, in fine. Hoc in genere, jam in particulari.

Respondeo secundo, videri virum hunc peccasse contra pietatem. Hec enim dicitur patri ut filius suae pudori et bono consulat, potius quam hospitis externi, etiamsi gravior injuria ei inferenda sit: et contra justitiam, si ea invita et repugnante (ut fieri solet) violandam obtulit; et contra charitatem, si in filia erat periculum consensus in delectationem veneream. Ita Lyranus, Abulensis, Dionysius et Pelerius in cap. XIX Genes. vers. 3,

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Undecim tribus bellum inferentes Benjaminitis ad vindicandam nefandam eorum libidinem, secundo ab eis ceduntur, tertio tandem aggressi eosdem caedunt usque ad interfectionem, sexcentis dimittunt fugam in scititudinem elapsis.

1. Egressi itaque sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Berabeae, et terra Galaad, ad Dominum in Maspha; 2. omnesque anguli popolorum, et cunctae tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta milia peditum pugnatorum (3. Nec latuit filios Benjamin, quod ascendissent filii Israel in Maspha). Interro-

ubi simile dixi de Lot offerente filias Sodomitis ad liberandos hospites. Quod si periculum consensus non erat in filia, ipsaque sponte patri sese submiserat, aut ad tantum nefas vitandum etiam obtulerat, et hoc probrum sustinendum, nullum omnino fuit peccatum.

Denique animi perturbatio, incogitantia et inopia consilii culpam viri hujus valde imminuerunt.

Magis excusandus est Levita qui, ut propriam injuriam infandam evaderet, obtulit uxorem ad stuprum, si ipsa ad hanc sui oblationem (ad quam non obligabatur) consensit. Quisque enim potius a se prohibere debet injuriam, praesertim tam nefariam, quam ab alio, puta ab uxore. Charitas enim incipit a seipso.

25. QUOD CARNENS EDUXIT, — ut obiecti praesentia et femina pulchritudine illecti abstinerent a viro, nec ulterius quid peterent, uti reipsa factum est: ita Abulensis; et forte incolae Gabaa petebant virum simulate, ut femina quam appetebant, et cujus per forum transeuntis miram pulchritudinem viderant, eis offerretur, uti assertit Josephus.

Fuit hoc ingens scelus, quod proinde lotus pene tribus exidio Deus vindicavit. Unde de eo dicitur Osee cap. IX, vers. 9: «Profundo peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur (Dominus) iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum.»

29. IN DUODECIM PARTES AC FRUSTA CONCIDENS, HESIT IN OMNES TERMINOS ISRAEL, — puta ad duodecim tribus, cuique tribui unam partem. Non peccavit hic maritus, quia non concidit uxorem ad dehonorationem corporis ipsius, sed potius ad honorem illi restituendum per vindictam tanti flagitii, quae paulo post reipsa secuta est: nam hac consensione omnes excitavit ad ultionem. Ita Abulensis.

Hoc Levite factum exemplumque citat S. Athanasius, epist. ad Orthodoxos; similique modo Ariannorum nefanda scelera contra Catholicos commissa recensens, eosdem excitat, ut Arianos delectentur.

gatusque Levita, maritus mulieris interfectae, quomodo tantum scelus perpetratum esset, 4. respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque divertit: 5. et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. 6. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestrae; quia nunquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in Israel. 7. Adestis, omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis. 8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum; 9. sed hoc contra Gabaa in commune faciamus: 10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei pro scelere, quod meretur. 11. Convenitque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem mente, unoque consilio. 12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? 13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum: 14. sed ex cunctis urbibus, quae sortis suae erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent. 15. Inventique sunt viginti quinque milia de Benjamin educentium gladium, praeter habitatores Gabaa. 16. Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, et dextera praeliantes; et sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadraginta milia educentium gladios, et paratorum ad pugnam. 18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo; consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester. 19. Statimque filii Israel, surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa. 20. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare ceperunt. 21. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderant de filiis Israel die illo viginti duo milia virorum. 22. Rursum filii Israel fortitudine et numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt. 23. Ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem, consulereque eum, et dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, et inite certamen. 24. Cumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad praelium processissent, 25. eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa; et occurrentes eis tanta in illos caede hacchati sunt, ut decem et octo milia virorum educentium gladium prosternerent. 26. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino; jejunaveruntque die illo usque ad vespem, et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, 27. et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca federis Dei, 28. et Phinees, filius Eleazari filii Aaron praepositus domus. Consuluerunt igitur Dominum atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. 29. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa; 30. et tertia vice, sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum prodixerunt. 31. Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et caderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros; 32. putaverunt enim solito eos more caedere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. 33. Om-

nes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalhamar. Insidia quoque, quae circa urbem erant, paulatim se aperire ceperunt, 34. et ab occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin; et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. 35. Percussitque Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. 36. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, ceperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad preparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant. 37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cedentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. 38. Signum autem dederant filii Israel his quos in insidiis collocaverant, ut, postquam urbem cepissent, ignem accenderent; ut, ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. 39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequerentur, cassis de exercitu eorum triginta viris), 40. et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere; Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammam in sublime ferri; 41. qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin in fugam versi sunt, 42. et ad viam deserti ire ceperunt, illic quoque eos adversarii persequentibus; sed et hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum est ut ex utraque parte ab hostibus caderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt atque prostrati sunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa. 44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatore. 45. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem; et pergebant ad Petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia. 46. Ita sic factum est ut omnes qui ceciderunt de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatore ad bella promptissimi. 47. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri, sederantque in petra Remmon mensibus quatuor. 48. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis a visus usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

1. EGRESSI ITAQUE SUNT OMNES (id est, plurimi, omnes qui commode domo abesse egredique poterant) AD DOMINUM IN MASPHA. — Quatuor erant urbes in Judea dicte Maspha, id est, specula, ait Abulensis, qui Galaaditicam hic intelligit. Melius alii accipiunt illam quae erat in confinio tribus Judae et Benjamin; haec enim erat vicina Gabaae, quam punire volebant, aequae ac urbi Silo, ubi erat tabernaculum foederis cum arca, quod ex Maspha videri poterat. Erat enim Maspha in loco alto quasi specula; unde ibidem dicuntur « congregati ad Dominum, » eminus in tabernaculo supra arcam residentem. Adde in tota Synagoga simul collecta ad causam piam, uti hic erat, deus aderat, illique praeerat. Unde ad eam convenientes dicebantur « congregari ad Dominum. » Hinc et alias saepius Hebraei comitia celebrarunt in Maspha, ut patet I Reg. VII. 10; Jerem. XI. 1; Ma-

chab. III. 47, ubi et causa additur cum dicitur: « Locus orationis erat in Maspha ante in Israel, » q. d. Esto in Silo esset tabernaculum cum arca, tamen in Maspha erat Synagoga, sive locus orationis, ideoque eo quasi ad Synagogam sive prosceniam conveniunt Israelitae. Unde Rabbinum Synagogarum originem referunt ad Synagoga celebrem et principem, quae erat in Maspha.

2. OMNESQUE ANGULI POPULORUM. — hoc est omnes populi habitantes in suis locis, quasi angulis. Sic hodie vocantur Cantones, id est, Anguli Helvetiorum. Rursum et potius omnes anguli, id est, omnes primores, praefecti et duces populorum, omnes principes tribuum, ait noster Salazar in Proverb. cap. I, vers. 21, num. 229. Hinc anguli stringunt continentque totam domum. Hinc angulus pro principe sumitur, ut cum

Christus dicitur « factus in caput anguli, » et esse « lapis angularis, » id est, columna, basis et princeps Ecclesiae, Psal. CXXVII. 22, et Matth. XXI. 42; et cum Isaias ait cap. XIX. vers. 13: « Deceperunt Aegyptum angulum (id est principem) populo- rum. » Et Zacharias, cap. I, vers. 4: « Ex ipso angulus, » hoc est, ex Juda prodibit princeps, patet Judas Machabaeus. Similia sunt Sophoniae, III. 6, et I Reg. XIV. 38.

12. ET MISERUNT NUNTIOS AD OMNEM TRIBUM BENJAMIN, — per universas urbes et cognationes Benjaminitarum.

13. INVENTIQUE SUNT VIGINTI QUINQUE MILLIA DE BENJAMIN. — Hebraeus et Chaldaeus habent 25 millia, quibus consentit Lyranus et Abulensis. Sed Septuaginta aequae ac Latina Romana constanter legunt 25 millia: atque his plane consentit numerus cesorum et superstitium vers. 35 et 47. Denique facile מֵסֵפֶת chamissa, id est quinque, depravari potuit in מֵסֵפֶת vesissa, id est et sex.

16. QUI (incola Gabaa) SEPTINGENTI ERANT VIRI FORTISSIMI, ITA SINISTRA UT DEXTRA PRELIANTES, ET SIC FUNDIS LAPIDES AD CERTUM JACIENTES, UT CAPITULUM QUOQUE POSSET PERCUTERE. — Est hyperbole, q. d. Peritissimi erant fundae, ut ea jacentes lapidem, certo scopum confingerent. Ita Lyranus, Abulensis, Cajetanus. Tales quoque erant incolae Balearem insularum, qui a teneris exercebantur in jactu fundae, adeo ut pueri jentare non possent, nisi jentaculum eminus positum funda deiecerint, teste Strabone. Audi quid de Commodo Imperatore scribat Herodianus: « Cervos et damas, item corrigera alia praeter tauros, currens pariter ipse atque insequens impetebat, ac praeventa fuga certissimis ictibus prosternebat. Leones vero et pantheras, aliaque id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne jaculis confodiebat, sic ut nec telum quispiam secundum, nec vulnus viderit nisi lethiferum. Nam ut primum se fera concitaverat, statim illum vel in fronte vel in corde sauciabat, nullo praeterea usus scopo, neque ad aliam corporis partem telo destinato, sic ut pariter cum vulnere ipso conficeretur. » Plura tamen peritorum sagittariorum exempla recensit Thren. III. vers. 12.

18. JUDAS SIT DUX VESTER. — « Judas » id est, tribus Juda, ejusque princeps.

23. FRATRES MEOS. — Hostes vocant fratres, ut ostendant quod, licet vitio sint puniendi, natura tamen est diligenda, ait Lyranus. Hinc hostis olim erat hospes; unde Italicum hoste.

QUIBUS ILLE RESPONDIT: ASCENDITE AD EOS ET INITE CERTAMEN. — Mira Dei ordinatio: jubet enim undecim tribus semel cesas a Benjaminitis ad 22 millia vers. 21, iterum eos aggredi, et ab eis rursus caedi ad 48 millia vers. 25, et tamen ille bellum justum piumque agebant.

CUR HOC? Prima causa fuit, ut praeterita eorum peccata castigaret, ac nominatim quod permittissent idolum Michae: item cultum Baalim et

Astaroth, cap. II et III. Ita Hebraei, Lyranus et Abulensis.

Secunda innuitur vers. 22, quod scilicet nimis in sua fortitudine et numero confiderent: ut discederent Dei esse victoriam, eamque ab eo dari saepe paucis et debilioribus contra plures et potentes.

Tertia, ut castra undecim tribuum, in quibus multi erant scelerati, a face expurgaret; itaque digna redderet, quibus victoriam largiretur, ut quae probaret et excitaret eorum fidem et obedientiam, quae sane hic magna fuit; nam licet secundo caesi, tertio tamen bellum Dei jussu instaurarunt, ideoque victores evaserunt. Audi S. Gregorium, lib. XIV Moral. cap. XIII: « Quid est quod in ultionem sceleris inflammatur Israel, et tamen prius ipso prosternitur: nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpae feriuntur; ut ipsi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant? » Confirmat exemplo adulterae, cujus accusatoribus ait Christus Dominus: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, » Joan. cap. VIII. 7, de quibus S. Gregorius: « Ad aliena, inquit, puniendi peccata ibant, et sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant. »

Denique ut ostenderet se supremum esse necis et vitae omnium Dominum; itaque omnes sacro sui metu et reverentia percelleret, ut et factum est. Vide Origenem, homil. 14 in Numer. S. Augustinum, lib. V De Civit. cap. XXI et XXII; Salvianum, lib. De Providentia; S. Gregorium, lib. XXI Moral. cap. III; S. Ephrem, tom. I, serm. De Patientia.

Similibus de causis Deus permisit, in bello contra Pharaonem infidelem inito, occidi Josiam piissimum regem Juda; et Ladislaum regem Hungarorum ab Amurathe Imperatore Turcorum in clade Varnensi; ac S. Ludovicum regem Francie, volentem recuperare terram sanctam, a Soldano Aegypti capi, et in secunda expeditione peste mori, ut miram ejus patientiam aene- ret, eamque toti mundo ostenderet, et mox in caelis coronaret, quam sane praee aliis heroicis ejus virtutibus ego admiro et venero. Sic S. Bernardus ante S. Ludovicum, jussu Dei incitavit Christianos ad capessendam eandem in terram sanctam expeditionem, quae tamen male cessit caesis Christianis. Unde S. Bernardus a multis impostor audivit; sed ipse se tutatus est, ostenditque per miracula hanc fuisse Dei voluntatem, ut ipse citans hanc Israelitarum geminam cladem narrat lib. II De Consid. ad Eugenium, sub initium.

26. JEJUNAVERUNTQUE DIE ILLO USQUE AD VESPERAM. — Ex hoc loco et ex II Regum cap. I et IX, liquet Hebraeos in jejuniis solitos jejunare usque ad vesperam. Ex qua consuetudine fluxit superstitionosa observatio Saracenorum, Turcorum et Judaeorum posteriorum, qui, cum jejunant, non

ante cibum sumere solent, quam stellam Veneris sive Hesperum (hanc enim colunt Saraceni) conspexerint, ut de Judeis refert S. Hieronymus, libro II *Contra Jovin.*, et Tertullianus, lib. *Contra Psychicos*, sub finem. De Saracenis idem liquet ex cap. II *Alcorani*.

Ad vesperam quoque olim jejunabant Christiani: unde in hujus rei memoriam etiamnum vespere in jejunio quadragesime ante prandium recitantur; quasi prandium, quod deinde sequitur, non tam prandium quam cena sit.

37. QUI CUM REPENTE. — Intricatus est hic ordo et series historie, sed cum sic extrices et digeris cum Lyrao et Abulensi. Israelite se dividerunt in tres turmas sive partes, inaequales tamen: una fuit insidiarum, quae posita erat a tergo urbis Gabaa, quam in omnibus aliis urbibus et viculis Benjamin, idque clarius liquet in Hebraeo. Fecerunt ergo tribum Benjamin anathema, quale praecipitur faciendum in crimine publice idololatrie, *Deuter.* XIII, 45. Et quamquam hic legi illius et vindictae metas modumque undecim tribus excesserint occidendo mulieres et parvulos innocentes; divina tamen providentia id permisum est ad puniendam Sodomiticam et effrenam Gabaanorum libidinem, simul et rebellionem audacem et temerariam unius tribus Benjamin contra caeteras undecim.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Juravit undecim tribus se non daturas Benjaminitis filias suas in uxores; unde mox dolentes de tribus illius interitu, sexcentis viris ex illa reliquis uxores dant 400 virgines ex clade Jabes Galaad reseratas, et ducentas Silvanas ex repta.

1. Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem. 2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu ceperunt flere, dicentes: 3. Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? 4. Altera autem die diluculo consurgentes, exstruxerunt altare; obtuleruntque ibi holocausta et pacificas victimas, et dixerunt: 5. Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim juramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. 6. Ductique poenitentia filii Israel super fratre suo Benjamin, ceperunt dicere: Ablata est tribus una de Israel, 7. unde uxores accipient? Omnes enim in commune juravimus non daturus nos his filias nostras. 8. Idecirco dixerunt: Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse. (9. Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.) 10. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et praecerunt eis: Ite, et percute habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum. 11. Et hoc erit quod observare debebitis; omne generis masculini, et mulieres quae cognoverunt viros interficite; virgines autem reservate. 12. Inventaeque sunt de Jabes Galaad quadringentae virgines, quae nescierunt viri torum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan. 13. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petr. Bemmon; et praecerunt eis ut eos susciperent in pace. 14. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et date sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad; alias autem non repererunt, quas simili modo traderent. 15. Universusque Israel valde doluit, et egit

poenitentiam super interfectione unius tribus ex Israel. 16. Dixeruntque majores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminae conciderunt, 17. et magna nobis cura, ingentique studio providendum est ne una tribus deleatur ex Israel. 18. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione quae diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin. 19. Ceperuntque consilium atque dixerunt: Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quae sita est ad septentrionem urbis Bethel, et ad orientalem plagam via, quae de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona. 20. Praeceruntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, et latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad duccendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in terram Benjamin. 22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri ceperint, atque jurgari, dicemus eis: Miseremini eorum; non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est. 23. Feceruntque filii Benjamin, ut sibi fuerat imperatum; et juxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quae ducebant choros, uxores singulas, abieruntque in possessionem suam, edificantes urbes, et habitantes in eis. 24. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel; sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

4. ALTARE. — Non peccarunt, quia in sanctuario altare hoc exererunt. Jam autem, *Deut.* XVI, 2, latum velatur ne extra sanctuarium hostias in altari immolent. Adde illud praecipitum latum esse a Deo ob periculum idololatriae; hic autem nullum ejus erat periculum. Unde videtur hic in illa lege fuisse dispensatum. Ita Abulensis. Cajetanus censet eos non aliud novum altare fabricasse, sed istud quod erat in tabernaculo restaurasse. Quarto et optime dicas hoc novum altare erectum ob necessitatem. Cum enim omnes tribus congregatae essent, ac singulae plures vellent Deo offerre hostias, unum altare tabernaculi ad eas capiendas non sufficiebat. Quare necessum fuit aliud altare erigi, ut omnibus satisfieri posset. Hic autem casus necessitatis censebatur exceptus a lege illa communi unius altaris. Unde Salomon in simili necessitate aliud altare erexit, III *Reg.* VII, 64. Alias vero ad hoc opus fuit peculiari Dei instinctu et dispensatione, per quam Samueli in Rama, Galgala et Bethlehem sacrificare licuit, II *Reg.* VII, 41 et 46; Davidi in Area Ornan, II *Reg.* XXV; Eliae in monte Carmelo, III *Reg.* XVIII.

6. DUCTIQUE POENITENTIA. — non proprie dicta: nec enim peccarant occidendo Benjaminitas, sed poenitentia, id est Dolore, *g. d.* dolentes unam tribum Benjamin pene extinctam in Israel; Deus enim volebat omnes duodecim tribus conservari, tum ad honorem Abrahae, Isaac et Jacob patriarcharum, tum ad robur et plenitudinem Synagogaes, aequae ac Reipublicae Israelis; tum ob mysteria numeri duodenarii, praesertim quia duodecim tribus, et patriarchae earum capita et principes fuerat typus duodecim Apostolorum; tum denique quia ex Benjamin nasciturus erat Saul, quem Deus destinaverat primum regem Israelis, et S. Paulus

Doctor Gentium, ac duodecim millia signati, qui tempore Antichristi converterentur, eique resident, *Apocal.* VII, 8. « In Gabaa, inquit S. Hieronymus in *Epitaphio Paulae*, urbe ad solam diruta paululum substitit Paulae recordata peccati ejus, et concubinae in frusta divisa, et tribus Benjamin sexcentos viros propter Paulum Apostolum reseratos, de quo praedixerat Jacob, » *Genes.* cap. XLIX, 27: « Benjamin lupus rapax mane comedet praedam, et vespere dividet spolia. » De Paulo ergo recte hic dicas id quod de Fabio Maximo cecinit Ovidius, lib. I *De Ponto*, eleg. 2:

Qui nasci ut posset, quamvis occidere trecenti
(Fabii censi ab Annibale).

Non omnes Fabios abstulit una dies.

10. MISERUNT ITAQUE DECEN MILLIA. — Hebraeus, Chaldaeus et Septuaginta constanter habent *duodecim millia*. Sic et Josephus, lib. V *Antiquit.* cap. II. Unde nonnulli suspicantur hic esse mendam.

ET PERCUTE HABITATORES JABES GALAAD. — iuste, quia a communi undecim tribuum praelio et seeleris vindicta soli se subduxerunt: unde ab undecim tribubus, hoc est, a toto populo justam mortis sententiam acceperunt. Debebant enim ipsi in publica Reipublicae causa, conventu et praelio comparare ut caeteri, ac Republicam adjuvare, et propugnare ut caeteri. Hoc enim justitia legalis et aurea exigit.

11. VIRGINES AUTEM RESERVATAE. — Virgines enim magis amant primos sponso, quam corrupte. Virgines autem dignoscebant, non per explorationem matronarum, ut vult Abulensis, sed ex communi fama, quod nunquam fuissent nuptae.

Vide dicta *Numer. xiii*. Porro videntur hic undecim tribus ex zelo nimio modum juste vindictae excessisse, eo quod parvulos quoque et mulieres innocentes occidi jusserunt.

18. **FILIAS ENIM NOSTRAS EIS DARE NON POSSUMUS CONSTRICTI JURAMENTO.** — Juramentum hoc obligabat eo casu, quo Benjamin'is reliquis, de uxore, quae essent Israelitides alia ratione provideri potuisset, ut ipsi non egerentur ducere gentiles et alienigenas, vel cogerentur manere caelibes cum interitu totius tribus. Tunc enim non obligabat hoc eorum juramentum, eo casu scilicet, quo una tribus perire debuisset, vel mulieres alienigenae ex vicinis assumende fuissent, quod periculosum et lege vetitum erat; tum quia sicut votum, ita et juramentum factum de minori bono, quod majus bonum impediatur, non obligat quatenus illud impedit; et jurans censetur tacite majus bonum exspectare voluisse cum juraret; nam aliqui illicitum fuisset juramentum: quia promissio, licet juramento firmata, non censetur infringi, quando in melius commutatur; hic autem melius erat non perire unam tribum, quam non dare illi filias suas uxores. Vide *Sylvestrum*, verbo *juramentum*. Quocirca peccassent Israelitae, si jurassent se in tali necessitate et periculo non daturus uxores Benjaminitis, aut Abulensis; putarent tamen ipsi, cum essent simplices et rudes, se hoc juramento teneri: unde rationes quaerunt quibus et juramento et conservationi tribus cavetur; et quamvis Abulensis faciat eas fuisse patet, et in frandem juramenti; melius tamen Lyranus, Hugo, Cajetanus, Arias censent legitimas fuisse; et quoad Galaadites mulieres eis datus patet, quia Galaadite bello non interfuerant (unde et merito existit sunt: debuerant enim, ut recte Abulensis, vocati ad communem vindictam tanti sceleris venire); juramentum autem praesentes tantum, qui scilicet jurarant, concernebat, non absentes.

19. **ECCE SOLEMNITAS, — non nundinarum, ut vult Abulensis, sed festi alieujus.** Videtur autem hoc festum fuisse Tabernaculorum, quod celebratur in septembri; tunc enim collectis uvis, vites abundant foliis et pampinis, sub quibus hi virginum raptores latitare potuerunt, ut dicitur vers. 20. Ita Arias, Serarius et alii.

21. **RAPITE EX HIS SINGULI UXORES.** — Quæres, an licite raptum hunc consulere potuerint, et an Benjaminite, consilium hoc exsequendo, virgines Siluntinas rapere? Respondeo affirmative; unde dico nec majores natu, raptum hunc consulentes fuisse perjuros; quia singuli tantum particulatim jurarant se eis proprias filias non daturus, non autem non daturus aliorum filias communi decreto. Similiter nec parentes filiarum fuisse perju-

ros, quia ipsi consili raptus non erant consili, nec dederunt filias suas: sed hoc illis abrepte sunt, imo, ut textus innuit, parentes prius Benjaminitis petentibus illas negarant. Unde peccatum, sive inaequalitas ab eorum parte fuisse dicitur, quia scilicet eas petentibus jure suo Benjaminitis, in tali necessitate negarant ob jurisjurandi religionem.

Denique non fuit hic peccatum raptus, ut recte Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Arias; quia is tantum misericordialis fuit non valde invitit filiabus, nec etiam parentibus, nisi ob perjurii periculum, quod hic nullum erat; et quia raptus hic factus est mandato illorum ad quos spectabat cura totius populi, et communis boni, quorum erat in tali necessitate et providere juramento, et determinare uxores, modumque eas accipiendi salvo juramento, quas quis corum aliqui Benjaminitis dare debuisset, ne tribus illa interiret, vel tarde nimis succresceret.

Simili modo Romulus et Romani instituerunt Judos, et adventantes ad eos rapuerunt virgines Sabinas, ut eas haberent uxores. Id factum est post annos 700: tot enim Phinees, aequae ac Othoniel, antecessit Romam et Romulum. Romanorum raptus contigit 14 Kalendarum septembris, ait Plutarchus; Benjaminitarum vero eodem mense septembris. Romani rapuerunt virgines 327, vel ut Halcarnasseus 689; Benjaminitae vero 200. Benjaminitis ad raptum coegit necessitas, Romanorum libertas, ut docet S. Augustinus, lib. II *De Civitate*, cap. xvii, et lib. III, cap. xii. Unde Romanorum raptus concevit bella et strages, Benjaminitarum vero pacem et laetitiam.

Hic finitur historia duodecim Judicum Israelis, qui fuere typus duodecim Apostolorum, ac praefuere populo a Josue usque ad Heli, per annos 299; nimirum Othoniel annis 40, Aod 80, Barac 40, Gedeon 40, Abimelech 3, Thola 23, Jair 22, Jephthae 6, Abesan 7, Abialon 10, Abdon 8, Samson 20. De quibus ita scribit Rupertus, lib. IV *De Victoria verbis Dei*, cap. vi: « Erant unici et veri Salvatoris (Jesu Christi) vicarii. Salvatio per illos duplici modo, videlicet judicando et preliando administrabatur: judicando quippe populum ab idolorum servitute prohibebant; preliando ipsi in fronte gradientes, de hostibus quibus servierant fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina judices, in praelio duces, in utroque salvatores, Sacramenta victoriasque Salvatoris aeterni gestis praeraris et victoriis mysticis praefigurantes. Sicut enim speculum oppositum soli, similem reddit imaginem; ita et salvatorum et judicum illorum lucida fides, Salvatori et Judici aeterno, cujus erat vicarii, similem praetulit in gestis suis pulchritudinem. »

COMMENTARIA

IN

LIBRUM RUTH.

ARGUMENTUM.

Perterritur hic genealogia Judae Patriarchae a Phares filio ejus usque ad Davidem, ex quo prognatus est Christus, hoc fine ut Christus (quem quasi scopum et finem tota S. Scriptura respicit) ostendatur natus ex Juda, uti promiserat et praedixerat Jacob Judae filio suo benedicens, *Gen. xl, 40*. Inducitur autem hic in hanc genealogiam Ruth Moabitica et Gentilis, sed mox facta fidelis et proselyta, qui miro casu vel potius Dei providentia in eam subintrovit aequae ac Rahab Chananaea: « Ut ostenderet, ait S. Hieronymus, non dedignatum ex peccatoribus nasci, qui venerat ut omnium peccata deleteret, utque gentium vocatio et electio Judaeis exclusis a Christo facienda, in Ruth gentili et avia Christi significaretur. » Tropologiae, ut in Ruth idea et exemplar pium, modestiae et sanctae uxoris daretur, Symbolicae, ut indicaretur nobilitatem generis dari a Deo, utpote qui Ruth gentilem, vilem et pauperem ascivit in familiam Abrahae et Judae, eamque fecit genitricem Davidis et posterorum, quin et ipsius Christi. Unde Ruth a Rabbinis et S. Chrysostomo, et B. Petro Damiano vocatur « Mater regni et regum. » Omnes enim Reges Juda ab ea descenderunt.

Est hic liber appendix libri Judicum, unde et

ab Hebraeis illi annectitur: ejus enim historia configit sub Judicibus, ut patet cap. i, vers. 1. Estque praeludium et quasi manuductio ad librum Regum; in eo enim gesta Davidis et ceterorum regum ex Ruth prognatorum describuntur. Quocirca recto ordine interjicitur hic liber inter librum Judicum et Regum. Porro hic liber ab omnibus tam Catholicis quam Haereticis (excipio Manicheos, qui totum vetus Testamentum, ac consequenter et librum Ruth, velut a Deo malo profectum rejiciebant et blasphemabant, teste S. Augustino in libris *Contra Faustum*) habitus fuit Canonicus S. Scripturae, esto in nonnullis Arabicis, utpote manuscriptis duntaxat non extet.

Auctor libri est incertus; a nonnullis enim censetur fuisse Ezechias rex, ab aliis Esdras, a pluribus vero Samuel, idque verisimilius videtur, tum quia Samuel sub hoc tempus vixit, tum quia ipse librum primum Regum conscripsit, ad quem hic liber dirigitur.

Scripturunt in Ruth Rupertus, Abulensis, Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus, Serarius, ac Fevardentius, qui pulchra et plurima morum documenta ex hoc libro elicit.